



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quantum temous requiratur ad præscribendum contra Ecclesias?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

Quanto tempore præscribantur res mobiles, & immobiles, contra privatos?

**R**es mobiles (quæ loco moveri possunt) præscribuntur triennio cum titulo, & bonâ fide. *L. Unica Cod. De usucap. transfer.* nisi sint res fortivæ, quarum vitium nondum purgatum est, quæ non præscribuntur, nisi triginta annorum spatio, quod tempus etiam requiritur ad præscriptionem aliarum rerum mobilium, si sine titulo usucapio fiat, ut colligitur ex *L. Sicut 3. & L. Si quis 2. Cod. De præscript. 30. vel 40. ann.* Res verò immobiles, quæ loco moveri non possunt, uti sunt fundi, prædia, domus, & similia, inter præsentés, qui in eadem scilicet civitate, vel ejusdem territorio, ac sub eodem regimine habitant, præscribuntur cum titulo decem annis; inter absentes, qui in diversis scilicet territoriis, aut sub diverso regimine habitant, viginti annis; sine titulo verò, tam inter absentes, quàm præsentés triginta annis, si sint res privatorum. Si verò præscriptio fiat absente per partem temporis præscribente, & per aliam partem præsentē, servanda est proportio absentis & præsentis, ita tamen, ut anni absentis duplicentur, veluti si quis per quinque annos præsentis sit, qui rem immobilem usucapit, reliquo tempore verò sit absens, quindecim anni ad præscribendam talem rem requirantur.



Pirhing, Compend.

## §. III.

Quantum tempus requiratur ad præscribendum contra Ecclesias?

**A**d præscribenda bona mobilia, & contra Ecclesiam Romanam, sufficit triennium, cum circa hæc specialia Ecclesijs concessa privilegia non legantur; ad præscribendum autem bona mobilia & jura Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, aut aliorum locorum piorum &c. quidquid sit de jure antiquo, hodie requiruntur 40. anni de jure ordinario (& ex specialibus privilegijs ad præscribendum bona mobilia Religiosorum S. Bened. &c. & cum his communicantium, quoad hoc privilegium, 60. anni) ut patet ex *c. de quarta. 4. c. ad an. res. 6. & c. illud autem 8. h. t.* ob specialem his locis & causis concessum favorem, ita tamen, ut si res eadem, quæ præscribitur, prius per tempus aliquod privati fuerit, postea in Ecclesiam transferatur, ea serveatur proportio, ut tempus quidem illud, quo contra privatum præscribitur, computeur, addatur verò tantum temporis, quantum illi deest, juxta Ecclesiarum privilegium, complendo scil. præscriptionem intra 20. annos, si contra privatum v. g. per 5. annos coepa sit, dimidiam scil. partem temporis habendo ex usucapione contra privatum, & alteram dimidiam partem accipiendo ex usucapione contra Ecclesiam. Excipiuntur tamē ab hoc jure communi quadragenaria contra Ecclesiam præscriptionis casus specialis, quo jura alicujus Ecclesie ab hæreticis vel Schismaticis recuperata, & ad fidem Catholicam conversæ ab Episcopo v. g. convertente intra triennium

A a a

præ-



præscribuntur, prout deciditur in *c. Placuit 1. h. t.* ob favorem scilicet fidei, & ad excitandam Episcoporum diligentiam, si in culpabili mora convertendæ talis plebis proprius Episcopus fuerit.

Ad præscribenda bona immobilia & jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia requiritur tempus centum annorum, prout sumitur ex *c. Ad audientiam 13. h. t. Et c. Cum vobis 14. eodem.* quod privilegium centenariæ præscriptionis etiam alijs indirectè & in consequentiam prodesse potest, quatenus jus habent ab Ecclesia Romana, & huic præjudicantur, prout etiam colligitur ex *c. Dilecta. 4. de confirm. utili.* Et quamvis contra ea, quæ de jure Divino, quoad supremam jurisdictionem & potestatis plenitudinem, ac specialiter reservata in signum specialis prærogativæ &c. Papæ conveniunt, quæ nunquam inferioribus concedi solent, nullo unquam tempore præscribi possit, ut ex dictis patet, immemorialis tamen præscriptio negari non debet circa ea, quæ nonnunquam inferioribus etiam à Pontifice conceduntur.

## §. IV.

De tempore quo præscribi potest contra Principem vel ejus Fiscum?

Contra Principem nunquam præscribuntur, quæ ipsi competunt in recognitionem supremæ potestatis illius, ut dictum, neque ea bona contra Principem præscribuntur, quæ illi soli ratione dignitatis reservantur, si nulli subdito ea communicari à Principe soleant, ut iterum ex dictis patet: quæ verò ad jurisdictionem Principis pertinent, subditis tamen, quamvis raro, nonnunquam solent com-

municari, præscribi contra illum possunt, prout dicitur in *e. super quibusdam ab §. Præterea de V. S.* sine titulo quidem tempore immemoriali; cum titulo intra 40. annos; vel si bona sint, quæ ad coronam spectant, intra centum annos, cum enim tot anni requirantur ad præscribenda bona Civitatis cum titulo *argu. L. ult. Cod. de SS. Ecclesijs,* magis ad præscribenda bona regni requirentur.

Ad præscribenda verò bona tam mobilia, quam immobilia contra Fiscum Principis, si bona talia fisco jam sint incorporata, requiruntur cum titulo 40. anni; si vero nondum sint fisco tradita & incorporata, neque etiam fisco denunciata, quamvis illi debita sint, præscribuntur tempore ordinario, sicut etiam privatorum bona; si verò denunciata præscribuntur, nondum autem tradita & incorporata, quadriennio præscribuntur de quibus videantur *Civilistæ.* Ceterum adversus fiscum Ecclesiæ Romanæ nisi centum annis præscribitur, & adversus fiscum inferiorum Ecclesiarum 40. annis, sicuti supra de præscriptione contra Ecclesias dictum.

## §. V.

De tempore quo præscribi possunt bona feudalia & emphyteutica?

ETiam hujus §. materia potius à *Civilistis* quam à *Canonistis* pertrahenda, de ea tamen breviter dici potest, ad inducendum vel constituendum feudum viâ præscriptionis, requiri cum titulo 40. annos, sine titulo tempus immemoriale; ut tamen extraneus jus feudi contra Vasallum vel etiam contra Dominum